

b. Germ.
114

**AD
EXAMEN
PVBLICVM**

IN GYMNASIO CVRIENSI

D. XIX. ET XXI. IAN. CL^o I^o CC XXIV.

DEO FELICITER IVVANTE

INSTITVENDVM

OMNES,

QVOS CVRIA HABET

MVSARVM SVARVM

EXISTIMATORES

COMMVNI DOCENTIVM NOMINE

DECENTI CVLTV

INVITAT,

**ET
LECTIONVM
CATALOGVM**

PROMVLGAT


DICTI GTMNASII RECTOR,

IO. ADAM Sifweiler.



LITTERIS MINZELIANIS.

I. N. I.



Vantum discriminis intercedit inter lucem & tenebras, corpus & umbram: tanto, immo longiore interuallo distant a se inuicem veritas & vana gloriatio, esse & videri. At vero ita est: famam alii habent, alii merentur: alii videntur, & non sunt; alii sunt, & non videntur. Thraso impudenter satis primas ubique vult obtinere, qui tamen, totus ex fraude & mendacio factus, est nugiuendulus. Sed gloria eius nulla est: nam qui simulatione, & inani ostentatione, & ficto non modo sermone, sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errane; ficta omnia celeriter, tanquam flosculi, decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum, inquit Cicero de Off. Lib. II. Cap. XII. Quomodo enim, quaeſo, stare potest, quod pede caret & fundamento? quomodo sustineri, quod destitutum est basi ac fulcro? Sobrium itaque est sapientissimi Socratis consilium, citato loco a Cicerone adlegatum: via ad gloriam proxima est & quasi compendiaria, si quis agit, ut, qualis haberi velit, talis sit. In Gymnasio nostro omnes haberi volunt probi ac diligentibus: utrum vero sint, palam fieri in examine publico, auspicis Summi Numinis ad instantes XIX. & XXI. Ian. dies instituendo, ubi, detracta vanae speciei larua, vera veritatis, omnes quae respuit colores & nuditatem amat, luculenter satis adparebit facies. Adeste ergo frequentes, rogo, obsecro, qui Gratia, Patrocinio & Fauore alias nobis adeſtis, & iudicate pro integritate vestra de docentium labore ac discentium industria, id quod precibus repetitis efflagito. P.P. Cur. Varisc. Dom. II. post Epiph. quae est XVI. Ian. A.O.R. cl. Icc xxiv.

JO. CHRISTOPH. HUESEL, Superintendens, Promissa superiori Examine ut servaret, pro temporis Penuriā & aliorum Negotiorum ratione, quibus ex Officii amplitudine ſepius impeditur, Locos ex Huttero XXVI. & XXVII. de Votis Monasticis & Magistratu, Auditoribus suis Methodō ſibi ſolemni, quā Thesin quaque Antithesin explicuit, progrediendō ſimul ad infequentem XXVIII. Locum de Matrimonio & Conjugio Sacerdotum. Cum vero ex allegatis rationibus Onomatologiam tantum & Pauca è Pragmatologiā exponere potuerit, perget finitō Examine Deoque volente vitamque cum rectā Valeudine

con-

concedente ad Reliqua, Magistratus autem doctrinam praesenti
Examini subjicit.

10. **A D A M** Fidweiler, Rector, adiutus gratia diuina,
vbi substituit superiori anno, perrexit sequenti ordine. In dog-
matica Theologia doctrinac de regeneratione istam, quae est
de reliquis gradibus gratiae Spiritus Sancti applicatricis, nec
non Deo & Christo adiunxit. Absolutis in Ethica Buddeana
duobus capitibus ultimis de signis propensionum humanarum, & reme-
diis mentem humanam, in primis voluntatem, emendantibus, vt auditio-
res sui praxeos ethicae haberent exemplum, praeccepta theologiae
naturalis, breui stylo concepta, tradere atque in calamum dicti-
tare instituit. *Astronomia* ad finem perducta itidem praxeos
loco *artem gnomonicam exorsus*, horologia, quae regularia vocan-
tur, in plano describere iusteque erigere suos docuit. *Logicae*
quoque doctrinac postquam colophonem imposuit, isagogen,
quam praemittere disciplinac huic a capite exordiendae alias
consuevit, hac quoque vice praemisit, in caue totius Logicac
conspectum exhibuit. Postmodum vt in disputando exercen-
dos iuuaret, terminos istos vniuersaliores ex *Ontologia* nec
non principia siue canones, qui obseruari & tradi solent,
explicare suis & inculcare sustinuit. Non minus usum Logicum
in resoluendis pericopis euangelicis monstrauit, hisque addidit,
quae ad excitandam promouendamque pietatem facere vide-
bantur. In lectionibus ebraicis eo, quo potuit, progressus, in
legendo alios, alios in resoluendo exercuit. Interim ex hoc &
superioribus lectionum catalogis adparet, styli exercitationem
cum munere, quod gerit, per se non esse coniunctam: quoni-
am tamen vnius horulae spatum per hebdomada relictum est
proponendis & corrigendis speciminibus vel styli, vel oratoriis; id
quoque temporis otio non triuit, sed elaboranda subministrauit
styli quidem specimina vel latina germanice reddenda, vel ger-
manica latine vertenda, numero 21. Chrias 3. Orationes 2. vt
haberent, in quo superiorum, mediorum & inferiorum subselli-
orum discipuli vires suas perclitarentur. Ut ergo adpareat,
utrum industria discipulorum responderit suae: en exhibet eo-
rum seriem, (omissis, qui nuper ad scholas academicas adspi-
rarunt,) & elaborationum numerum oculis omnium exponit,
vnde facile argumentari licebit de eorum diligentia, quam reli-
quis lectionibus impenderunt. *Faxit Deus, vt desides desidiae*
suas

Suae aliquando pudeat; industriae vero industriae atque operae suae fructus largissimos olim percipient.

Elaborarunt Specimina styli, Chrias, Orationes

Heisser	-	-	-	15		
Hendel	-	-	-	16	3	2
Feder	-	-	-	14	2	-
Otto	-	-	-	17	2	1
Carner	-	-	-	16	1	-
Lohé	-	-	-	16	2	-
Walther	-	-	-	15	2	-
Böckel	-	-	-	12	3	2
Scherzer	-	-	-	11	-	-
Negelein	-	-	-	11	1	-
Spengler	-	-	-	14	1	-
Barnickel	-	-	-	17	3	1
von Muffel	-	-	-	18	2	1
Leonhardt	-	-	-	13	3	-
Küffner	-	-	-	13	-	-
Drechsel	-	-	-	18	1	-
Dorn maj.	-	-	-	18	2	-
Hager	-	-	-	19	2	-
Schmidt	-	-	-	15	3	1
Dorn min.	-	-	-	21	-	-
Schaumann	-	-	-	12	-	-
Meinel	-	-	-	15	-	-
Schöpff	-	-	-	18	-	-
Degen	-	-	-	21	-	-
Meyer	-	-	-	17	-	-

M. J. DAVID Meyer, Conr. in praelectionibus suis re-censendis stilo, cuius cardine omnis latinarum scholarum res uertitur, palmarium adsignat locum. Scilicet diuinâ adiutus gratiâ Ciceronem & Buchnerum enucleauit oratores & epistolographos, ad uniuscuiusque concinnum numerum, quâ res, quâ uerba, probè attendendo, μημηνά dictando & in dicendi genere linguas suo-rum gestusque defatigando. Quoad theoriam & oratoriæ praecepta instillanda cel. Hubnerum adhuc sequitur coryphacum, & iam in Cap. omnium utilissimo, de oratione, uersatur, operam non pl-a-nlusisse ratus, quod de diuersis ueterum dicendi generibus, antiquatis licet, nonnulla prælibauerit, & declamatorium, quod hodie cum parte.

panegyrice obtinet, suis propinauerit. Quas cum Horatii Sermonibus hoc anno commutauit Virgilii eclogas, eas, unam minus, ad colophonem perduxit consuetae methodi specimen in examine editurus. Priuatim aurea Erasmi colloquia & terdas Mureti orationes cum explicat, tum, illa ad communem loquendi, has ad ornatè scribendi usum, adplicat: priuatissimè autem periodos strucere docet nonnullos. In pensis historicis ad pacem Nouiomagensem, universales si species, sin ecclesiasticos annales, ad X. persecutionum finem proferendo pedem haeresiologiam istorum temporum adtexuit, ortum plerarumq; ex historia philosophica ad oculum ostendendo, credando. Faxit Deus T.O.M. ut omnia cedant in sui nominis gloriam, insigne studiosae pubis commodum, & in cuiusuis profectus istud Virgilii quadret:

Multa dies uariusque labor mutabilis aeui
Reticulis in melius.

Laborum publicè dictatorum Catalogus.

	Orat.	Chriat.	Imitat.	Transl. g	Extemp.	Poetica.
Häusser	o	o	9	o	o	o
Hencfel		o	M	N	I	A.
Feder	o	o	o	o	o	o
Otto	o	o	M	N	I	A.
Carner	o	o	omnes	omnes	omnia	o
Loh	o	o	omnes	omnes	omnia	o
Walther	o	o	8.	2.	I.	o
Völkel		o	M	N	I	A.
Scherzer	o	o	o	o	o	o
Spengler	o	o	o	o	o	o
Barnickel	I	I.	omnes	omnes	omnia	I.
v. Muffel		o	M	N	I	A.
Leonhard	o	o	5.	I.	I.	o
Küffner	o	o	3.	o	I	o
Drechsel	o	o	o	o	o	o
Dorn mj.	I	o	omnes	omnes	omnia	omnia.
Hager	I	o	omnes	omnes	omnia	omnia.
Schmidt		o	M	N	I	A.
Dorn m.	o	o	omnes	omnes	omnia	o
Schaum.	o	o	9.	o	I.	o
Meinel	o	o	o	o	o	o
Schöppf	o	o	8.	I.	o	o
Degen	o	o	II.	I.	omnia	o
Meyer	o	o	II.	I.	omnia	o

GVLFF.

GVOLFFG. ADAMVS Rapp, Tertius, ex quo sub auspi-
ciis divini Numinis Quarti partes cum Tertii muniis commuta-
vit, nihil sibi majori fuit curæ, quam ut juventutis scholastieæ stu-
diis pro virili semper inserviret. Atque ut ne docentium muta-
tio profectibus discentium obe esset reverendi Dni. Antecessoris ve-
stigiis insistere, telamque lectionum ab eo coeptam pertexere
consultum judicavit. Pensa verò, quæ intra vertentis anni spa-
tium bono cum Deo confecit, sunt sequentia.

In superiori acroaterio discipulis Φυλέλλησι, (quorum qui-
dem non magna adeo turba est) ex Actis Apostolorum tantum Ca-
pita IV. ob temporis penuriam prælegere licuit à Cap. XX. ini-
tium capienti. Isocratem verò post Festum S. Michaelis ab ovo
ut dicitur exorsus in Orat. I. parænetica ad Demonicum pedem fixit
in præcepto 12. Capit. IIII. Utriusque Græci hujus textus, sacri pari-
ter ac profani tractationem ita instituit, ut, præmissâ semper ana-
lysi Grammaticâ, voces, phrases ac sententias, queis in primis
pondus inerat, crueret, crutas per alias loquendi formulas vari-
ando inculcaret. Ut adeo nullus dubitet, si domestica discenti-
um diligentia accederet & repetitio, illos in elegantissimâ hujus
linguæ studio haud pœnitendos experturos esse profectus.

Præsertim cum non defuerint imitationes ad filum utrius-
que auctoris propositæ, quas quidem elaboratas biga solùm o-
ptimorum discipulorum sibi exhibuit delimandas.

In II. Classe ex B. Hutteri Compendio IX. Locos absolvit à
Loco de Prædestinatione ducens primordia pergendo ad Locum
usque de S. Cœna, quem cum duobus proximè præcedentibus
sub examinis incudem revocabit. In Hildebrandi Historiæ U-
niversalis Synopsi XVIII. Imperatores Sec. VIII. perlustravit, eo-
rum originem, qualitates, Conjugia, bella & res gestas &c. discen-
tium memoriæ inscribens. In Justino Lib. XXVI. XXVII.
XXIX. XXX. & XXX. ad finem perduxit, quodvis caput auto-
ris enucleati in vernaculam transvertendo atque imitando. Et
nesuos etiam in hac classe discipulos Græcæ linguæ jejunos relin-
queret, uti præterito anno pericopas Epistolicas pertractavit, ita
& hoc Evangelicas eadem methodo exponi curavit, applicando
insuper præcepta Grammaticæ Græcæ & verborum copiam ma-
xime urgendo. Quot vero & quæ suis tyronibus proposuerit
exercitia & Romano & Grajo sermone elaboranda, elaborata-
que reviderit, illorum libri testabuntur. Privatos verò intra pa-
rietes

rietas præter publicarum lectionum repetitionem, Terentium
atque & Ovidium prælegendo continuavit, hunc ad usum me-
um, illum verò ad styli tertioris formationem transferendo.
uris quoque temporibus, omnibus eo allaborabit viribus, ut
tes officii sui proporro ritè expleat, ad quod optimi Numinis
ciliū, quod hactenus abunde expertus est, devotis sibi pre-
us exorat.

JO. PETRVS OTTO, Quartus, extrema superioris
anni hyeme, Quinti cum partibus Quarti jussus commutavit,
&, quam Dn. Antecessor, finito tunc temporis examine, est ex-
orsus, telam continuans, haec pertexuit pensa:


Secundae Classis ciuibus excellentium Imperatorum vi-
tas, Corn. Nepoti expositas, Epaminondæ scilicet, Pelopidae
atque Agesilai dilucida explanatione interpretatus, ad Eumen.
porro haud ita pridem est progressus, imitationum insimul ali-
orumque observatu dignorum usu minime posthabito. Ulti-
mis IV. Elegiis Lib. I. Trist. Ovid. pertractatis e II. versus XC.
addidit, hac quidem methodo, ut & tersas loquendi formulas
erueret, & scandendo aliisve, cum ad prosodiae præcepta, quae
plus vice simplici a capite ad calcem sunt revoluta, tum artis
poeticae culturam facientibus, cum primis exerceret discipulos
adjunctis aliis quavis hebdomade, intercedentes nisi quidem id
prohibuerunt feriae, materiis versuum, & in ordinem redigen-
dorum, & in alia genera ab aliquibus transferendorum.

Tertiae Classis discipulis e Compendio B. Hutteri IX. Ar-
ticulos ad eorundem captum atque usum explicuit, initio facto
ab eo, qui agit de Bonis Operibus, quos inter Loc. de Baptismo
in praesenti examine veniet examinandus. Corn. Nepotem
cum selectis Cic. epistolis publice pariter ac privatim hac ratio-
ne exponendum curavit, qua discipulos fidei suae commendan-
tos ex informatione doctiores redire posse existimavit, imita-
tiones e singulis Capitibus & Epistolis non relinquens: cuius
laboris ipsos speciminum libros Classis utriusque habet testes.
Latinae Grammaticæ præcepta discentibus sedulo instillare,
eademque magno exemplorum numero illustrare allaboravit.
In Graccae denique linguae Elementis nec non Declinationum
& Conjugationum simplicium Paradigmatibus tradendis pari
diligentia se præbuit. In posterum quoque gratia divina ad-
jutus, pro munere suo rite gerendo omnes contendet nervos.

Sa

Samuel Tröger, Cantor & Gymnasii Collega, Discipulis Tertiæ Clasis lectiones sibi demandatas, hac serie proposuit. Libellum aureum B. Dn. D. Gyntheri de christianismo, absolutum, & à fronte iterum, non sine fructu exorsus est. Fabulas Æsopi, itidem ad finem perduxit, & finito examine, Deo vitam & sanitatem largientे, illas denuò inchoabit. E Langii Grammatica, pensum sibi addictum audivit, & recitationem vocabulorum, ut & evolutionem compositorum strictissimè ursit. In arte Musica nihil neglexit, & tām artis ignaros, quām profectiores, multoties per septimanam exercuit. Dolendum, hanc artem passim incipere titubare, & discipulos fermè omnes ab hac abhorrere, vix quoque duos inveniri, qui etiam gratis illam dissecere satagunt, putantes, rem esse futilem, & à gravitate viri alienam. Officii tamen memor, partes candidi Cantoris futuro tempore in se suscipiet.

JOANNES CHRISTOPHORVS VOELCKELIVS, Quintus, ex quo temerrimae pubis formandæ in se suscepit curam, id sibi potissimum datum esse credidit, ut veræ pietati, cuius permagna ad optima quæque vis est, a suis in primis litteratur. Huc pertinere videbatur, si quæstionibus e Catechismo memoriae mandatis, & uberiori explanatione e Compendio Gyntheri, (vulgo Himmels-Weg dicto) illustratis, precepta illico vitae bene instituendæ subjungeret. Ut Declinationum pariter & Conjugationum indoles suis intimius inhæreat, non monuit minus, quam acriter institit; nec seposito *ἀναλύσεως* latinae exercitio, in quantum quippe tyrunculorum captui confessaneum videbatur, ea simul, quæ imitando in succum & sanguinem vertenda existimabat, fideliter coniunxit. Tertiæ clasis discipulos in colloquiis Langii Grammaticæ annexis expoundingo resolvendo, nec non imitandi formulas satis multas suppeditando gnaviter exercuit, nec in Arithmetices studio eosdem plane jejunos esse voluit. Ceteroquin & in posterum divina munitus gratia, omni ope huc admittetur, ut pietatem Deo, fidem & industriam disciplinæ suæ traditis sancta perpetuaque lege præster imo confirmet, adeoque munera suis partes non inhonestè obeat.



H. nr. 6. Gym 714

